arbitrium in ſpiritualibus non liberum, ſed prorſus ſervum eſſe, quod alibi proiixius demonſtrari ſolet, quàm in ſpecie, cauſam fidei nullam eſſe aliam, quam Spiritum S. fiduciam in nobis generantem, adeoq; fidem oriri ex gratiâ, non ex naturâ, eam eſſe ſupernaturalem & θεόδοτος, non naturalem aut ἐπίκτητον, adventitiam, non verò hæreditariam.

XXXI.

Quodcunq; n. tùm ratione initii, tùm ratione incrementi, tùm ratione complementi à ſolo Deo proficiſcitur, illud ex noſtro arbitrio propriiſq; naturæ viribus pendere nequit. Sed fides à ſolo Deo proficiſcitur, tùm ratione initii Phil, 1,6, 29. 2. Cor. 3, 5. Eph. 2,18. Col, 2,12. Gal. 5,23. Joh. 6,29. imò ipſum velle credere à Deo eſt Joh. 6, 44. cap. 15, 5. Phil. 2, 13. 1. Cor. 2, 4, 5. tùm ratione incrementi Marc. 9, 24. Luc. 17, 15. 2. Theſſ. 1, 13. tùm ratione complementi Phil. 1, 6. 2. Theſſ. 1, 11. Ergò fides ex noſtro arbitrio propriiſq; naturæ viribus pendere nequit.

XXXII.

IV. *In cauſam Formalem* Photiniani neceſſariò coguntur peccare, modò theſes & hypotheſes ſuas ſalvas velint. Quantumvis n. imputationem negativam, peccatorum videl. nobis inhærentium non imputationem ſeu remiſſionem una nobiſcum concedere videri velint, Imputationem tamen affirmativam (de qua in diſp. 1. th. 39.) juſtitiæ videl. Chriſti nobis inhærentis applicationem omninò negant, & cum Pontificiis negare tenentur, adeoque cum Papiſtis ſtatuere, juſtificationem noſtram fieri per & propter bona opera noſtra, & hæc cum fide ad juſtificationem concurrere; quod tamen præter & contra omnem Scripturam affirmatur, ut alibi noſtrates Theologi multis demonſtrant.

XXXIII.

Nos hic ſubſiſtimus & generalem concluſionem ex mediis hactenus comprobatis inferimus talem. *Ergo modernorum Photinianorum doctrina in articulo Juſtificationis heterodoxa eſt & hæreticiſſima,* ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DEO SIT LAUS ET ÆTERNA
Gratiarum actio.

FINIS.

Coll. Dieb. A 179, misc 15

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id37223688X/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG